


DE VITA
&, OBITU EL
GRUBBE









Reuerendo pio & Docto viro, Domino Andreæ Matthiæ, pastorj in Kongerödt & Stenestadt, Amico & fratrj suo charissimo. Authores ~~de~~derunt.

Arida sunt nimium quæ scripsimus: Aridiora
Chalcographi indocta sed modo facta manu.
Lector ut illa bonj nunc consulat æquus: at item
Emendet docta quæsumus ista manu.

EPISTOLAE DVAE DE

VITA ET OBITV NOBILIS MATRONÆ DOMINÆ ELISÆ MAGNIFICI DOMINI D: HILARII GRVBBE DE LYSTROP, *Regni Danici Cancellarij &c: Coniugis charißimæ.*

PARENTATIONIS ET OFFICII CAVSA SCRIPTAE.

Anno Domini

M. D. LXXVII.

HAFNIAE

Excuſum apud Andream Gutteruitz.

1577.

EPISTOLA

Continens Hiſtoriam vitæ & obitus Dominæ
ELISAE BIORNONIS STE-
NONII filiæ, piè in Domino defunctæ,
loco parentationis.

MAGNO MATTHIÆ THEOLOGO ET CANONICO LVNDENSI DOCTISSIMO, VIRO

optimo & amicißimo salutem.

QVæ nunc adfero, Magne dulcißime, eius sunt Argumenti, vt non delectationem, quam ex familiari consuetudine nostra & colloquijs iucundissimam, sæpius vtrinque percepimus: sed & mihi referenti, & tibi ea cognoscenti dolorem iustissimum sint paritura. Quemadmodum enim funebria omnia luctu plenissima esse solent: Sic parentationem Matronæ lectissimæ, Dominæ Elisæ Biornonis Stenonij filiæ, commemoratione pietatis ipsius, & hanc vberrimo prouentu insequentium virtutum, ac Christianæ ex hoc lugubri Diuersorio emigrationis, instituenti mihi, & eam ad te perscribenti: Non potest non fieri, quin vetus dolor ex immaturo ipsius obitu, superiori anno conceptus, hoc pacto in memoriam reuocatus, nouas lachrymas excutiat, & acres singultus in vtroque nostrum denuò excitet.

Quamuis autem iniquè facere videor, dum pro studiorum & beneuolentiæ vicissitudiue, quam in amicitia nostra ornanda & fouenda, non sine vsu & incredibili voluptate hactenus vsurpauimus, ea repono, quæ animum tuum vehementius perstringere & commouere possint: Tamen ponderatis instituti mei rationibus, quas honestissimas esse non dubito: hoc mæroris quidem, Sed officij plenissimum Argumentum te pariter & omnes ingenuos homines approbaturos minimè diffido. Cum enim in hominibus sinceri & beneuoli, imò Christiani pectoris & ingenij, manere debeat erga defunctos eadem affectio, qua viuos

sunt prosecuti: quæ præcipué declaret futurum esse, vt postliminio redintegrent sepultam & diutius delitescentem consuetudinem suam: certè vitio non est ipsis vertendum, qui hanc in suos propensionem illustri aliquo monumento & virtutum ac memoriæ ipsorum officiosa consignatione publicatam, ad posteritatem transmittunt.

Neqꝫ verò inutilis est & infrugifera hæc animorum grata de suis testificatio, cum ad honestatis Studia sectanda & excolenda mirificè homines extimulare soleat. Non modo enim virtutis pulcritudo in Heroicis ingenijs delineata & commendata, alios vehementer afficit, suiqꝫ amorem in ipsis incredibilem & constantem accendit: Verumetiam vestigia commonstrat, quibus insistentes, illud, quod præclarum & laudabile fuisse in huiusmodi præstantibus Naturis conspexerunt, ijsdem cursibus ipsi etiam sectari & apprehendere satagent.

Verum quod nostro proposito magis est accommodatum: Nihil est quod auulsi à nobis necessarij hominis desiderium æquè leniat, ac præcipuæ ipsius partis forma ad viuum expressa, & eiusdem continua & cum voluptate quadam consideratio. Ita Lelio suus Scipio extinctus semper vixit, & quamuis oculis ab ipso detractus fuit: absentis tamen amici famæ & virtutis imago in animo viuacissima hærebat, vt non minus in memoria ita depictum, quàm olim præsentem corpore, non sine iucunditate perpetuò contemplaretur.

Quare ab Amicitia nostra alienum me non facere existimo: Si, recensitis, qua potero breuitate & fide, rarissimis virtutum dotibus, quibus nobilissima D. Elisa eminebat, immortali illam memoria celebrem

brem reddam: Atque hac ratione parentationis susceptæ muneri, & priuato nostro potius quàm ipsius desiderio (cum nihil sit quod nunc fœlicissima desiderare posit) satisfaciam.

Tuum verò erit, dulcissime Magne, hæc eodem animo legere, quo à me sunt ad te perscripta: nec aliquid exactè elaboratum in hoc Argumento à me requirere. Cum talium lugubrium rerum tractatio aciem ingenij retundat & exhebetet, & Orationem cùm sterilem tùm horridam reddat, vt dici solet: ἡ φρὼ σοι ἀλγήσει, ἡ δὲ γλῶσσα ἔσαι ἀνάλγητος. quibus sanè si ex fœcundo Eruditionis & pietatis tuæ penu desumpta lenimenta quædam, & consolationes ærumnarum huiusmodi asperitatem emollientes subieceris: facies vt hic mæror noster limitibus includatur, & sine maiori molestia funebris hæc & luctuosa Narratio mea ab alijs cognoscatur.

Sed vt id quod institui aggrediar, ab ipso ouo, contra Poëtarum morem, cum simplici & veræ commemorationi oratio per ambiges tortuosa non sit adhibenda, exordiar.

Nascitur D. Elisa in auiæ maternæ hæreditaria sede Tommerup, quæ sita est in laudatissima prouincia Schania, Anno Salutis humanæ quadragesimo tertio supra millesimum quingentesimum, vespere præeunte proximè festum solenne Epiphanias Domini.

Atque hic quidem accuratam illam ingenij humani telam, de temperamentorum & inclinationum causis ex motu, constellationibus & vi superiorum luminum dependentibus, pertexerem: si à nostra professione prædictiones huiusmodi Manticæ, alieniores non essent: Tum etiam quia nonnulli atque illi magis

ingeniosi quàm pij, diuinæ huius & pernecessariæ artis limites perrumpunt, & remota principali causa, Secundis, necessitate quadam alligant omnium rerum & actionum euentus: Ne videar horum artificiosum deliramentum approbare, omnibus præteritis, viciniores infallibiles voluntatum humanarum, & appetitionum laudabilium fontes, qui sunt, timor Dei & liberalis ac honesta Educatio, in huius Epistolæ meæ decursu assignabo.

Parentes habuit Biornonem Stenonis filium & Martham Geddanam, Dominos hæreditarios Howedal & Spannerop: vtrosq; ex peruetustis Nobilium familijs oriundos, quiq; antiqua magis & Heroica integritate, quàm fastuoso luxu (vt nunc plærumq; fieri solet) originem suam mirificè ornarunt & extulerunt.

Hanc nobilem indolem vnà cum verecunda corporis & faciei venustate, vnicæ huic Natæ suæ impresserunt, quam deinde institutione diligenti & circumspecta adauxerunt: vt ex Gemmulis primæ ætatis erumpentibus subsecuturorum virtutis florum & fructuum indicia plurima conspicerentur.

Ac vt pauca de externis lineamentis corporis adijciam, Cum illa sint interni hominis simulachra: Statura erat mediocris & fœminæ conueniens, membra compacta & inter se optimè proportionata, facies ad rotunditatem oblonga, frons elata & aperta, oculi cærulei, stabiles, & verecundi, nasus decenter protuberans, labia graciliora & rubicunda, malæ carnosæ, sed citra pinguedinem ingenuo colore depictæ fuerunt:

> Qualis in infectis aduersi Solis ab ictu
> Nubibus esse solet vel purpureæ Auroræ,
> Talis erat vultus nostræ florentis Elisæ,

Et vt singula summatim complectar: ex facie, & totius corporis dispositione, animus Nobilis & ad virtutem inclinatus elucebat.

Accessit fidelis institutio quæ naturales hos igniculos in perpetuas quasdam virtutum flammas excitauit. Facillimè enim (vt sunt ingenia humana lubrica & semper ad malum procliuiora) Naturæ bonitas incuria extinguitur, & in perniciem licentia degenerat, vt de ea verè dici possit:

Vidi ego quassatas mota face crescere flammas,
Et vidi nullo concutienti mori.

Non modò igitur parentum & auiæ curà pueritiæ mores ad pietatis & honestatis normam inflectebantur, & semina Notitiæ Dei & virtutum statim ab vberibus infundebantur: Verumetiam firmior ætas in ijsdem studijs continuata est, cum in Aula Nobilissimæ & præclaræ Matronæ D. *MAGDALENAE BRAHE DE BOSEROP* educaretur: Cui certè propter verecundos mores, consuetudinis suauitatem, industriam operum, & reliquas Nobilis ingenij dotes fuit longè charissima, ita vt non sit passa illam à se diuelli, priusquam coniugij iure mariti imperio subijceretur.

Sed ferè præterijssem curriculum vitæ in Monasterio Bosô ab illa transactum, paulò antequam in Gynæcæum D. Magdalenæ transiret. Eò enim à parentibus bono consilio missa fuit: Non quidem vt spurcissimæ cælibatui Monialium initiaretur, aut tædas exosa iugales, in otio sterili per totam ætatem ibi delitesceret: Sed vt partim legere & mediocriter scribere: partim colos tractare: acu pingere,

telam

telam texere & alia officia Oeconomica à grandæuis illis Sororculis & his studijs addictioribus disceret.

Memini autem Optimam D. Elisam cum de eo vitæ genere sermo incidisset, de ficta & simulata Semiramidum illarum sanctimonia, de quarundam autem libidine intemperantissima, De Superstitione plusquam Thessalica vetularum, de temerariorum votorum sollicita admodum obseruatione, & huiusmodi Papisticis imò Diabolicis reliquijs grauiter conquestam fuisse, quas tum quidem ignara suspiciebat & admirabatur: Nunc verô imbuta cœlesti veritate ea vt execrabilia toto animo detestabatur.

Ad reliqua transeo, hoc primum cum subiecero: Impijssimos esse homines, qui non antiquitus vsurpata Religionis opinione, cum illa penitus euanuerit, Sed politico quodam consilio filias suas adigunt, vt Monasticæ vitæ se mancipent, quo nimirum hæreditatis portio ipsis adempta, ad alios nonnullos liberos cum maiori accessione deuoluatur. Atq; hoc pacto prouidentiam Diuinam præiudicio suo violant: conscientiam illaqueant: institutis à Natura pariter & ordinatione Dei abhorrentibus, occasionem libidinibus & harum socijs, homicidijs præbent. Hos inquam quis non iure optimo Carnifices lib:rorum, non parentes nominauerit?

Cum igitur impuberes annos D. Elisæ tam diligens, & parentum cura, & D. Magdalenæ inspectio, tum etiam seuerior Monialium Disciplina, fœliciter informassent: ceperunt nunc non solum leuia futurarum virtutum indicia apparere: Verumetiam eæ frequenter in vita illius & actionibus indies magis ac magis conspiciebantur. Vnde factum est vt Domesticorum hominum commendatione & publicis sermoni-

monibus omnium qui illam nouerunt celebratam in tenera & iam primùm pueritiæ limites egrediente ætate, quinto nimirum decimo anno Dominus Hilarius Grubbe hanc solam sibi in vxorem dari petierit.

Quare cum propositum suum D. Hilarius parentibus suis, quos pietatis, virtutum & generis fama longè clarissimos habuit, aperuisset: illi verò vt sanctum & laudabile approbassent: eò rem Diuinis auspicijs perduxit, vt D. Elisa, recepto patriæ nostræ more, die Mensis Maij IX, Dominica, quæ vulgò Iubilate nuncupatur, Anno M D LVII sibi desponderetur. Inde autem biennio, qui erat annus supra Millesimum quingentesimum quinquagesimus nonus, Regia Maiestate sumptus & apparatum Nuptiarum clementer, pro solito suo & planè Regio in suos fauore, in Arce Hafniensi conferente, inchoata pacta, accedentibus Matrimonij vinculis, inter hos duos cum magna solennitate completa fuere.

Atq; hi fuerunt, dulcissime Magne, primi spacij cursus sanè optimi, & ad ipsam honestatis metam directi, in quibus ad extremum vsq; progressa est, militando Christianam militiam & seruando fidem ac bonam conscientiam: quod vt paucissimis explicem, reliquum est.

Vt autem ordiar, vnde illa vniuersas vitæ suæ actiones exorsa, easdem optato fine terminauit: De ipsius in Deum pietate, ab omni simulatione Hypocritica alienissima, & copiosa sanctarum virtutum progenie fertilissima, & pauca & vera præmittam. Summo studio semper contendebat Doctrinam filij Dei, patefacientem nobis aditum ad vitam æternam, per ministerium publicum cognoscere. Deuenit ergo in veram noticiam Dei per Spiritum sanctum in verbo efficacem

& parientem fidem illam quæ amplectitur & sibi applicat meritum Redemptoris Christi, & nouæ vitæ seu Regenerationis fructus progignentem, & sensum consolationis ac Diuinæ lucis & lætitiæ in corde excitantem: Quæ quidem cognitio Dei & Christi est ipsa vita æterna, vt testatur apud Iohannem Dominus. Neque verò Pythagoreorum more sibi soli, quæ discebat, resurvauit, nec professionem Christianam dedignata de Deo & rebus Diuinis atque ad Salutem nostram pertinentibus differendo conferre, suamque Sententiam de Articulis & fundamento fidei suæ palàm pronunciare erubuit. Memoriæ Thesauro erat donata, ita vt quæ ingenij acumine, quo plurimum excelluit, complectebatur semel, perpetuò apud se retinuerit: Sic quas attento studio sacras conciones audiebat, firmissimè veluti depositum conseruabat: earumque multarum potuit dispositionem, ratiocinationes, præcipuasque sententias iamdudum productas, cum liberet, recensere. Quanta verò ducta sit cupiditate audiendi verbi Dei, vel indè constat, quòd optarit sæpenumero res & rationes Mariti & suas longiorem morã ferre posse in ijs locis, vbi frequentius pro cõcione Doctrina cælestis tractaretur. Etsi enim in his Borealibus & tranquilissimis Ecclesiæ, Halcyonijs vox Euangelij vbique incorrupta diffunditur: & salutaris Ordinatio Sanctiss: & Illustrissimi Regis *CHRISTIANI* eius Nominis tertij, memoriæ indelebilis, seculi huius & Ecclesiæ Ezechiæ, olim instituta, & præsentibus temporibus à nostro Sanctissimo, Augustissimo & Clementissimo Rege, *FRIDERICO II* ætatis suæ Iosia, conseruata & continuata, totius cœlestis Doctrinæ propagationem & Sacramentorum vsum in omnibus congregationibus & Ecclesijs nostris aptè & per ordinata interualla & momenta præscribit:

Ioh. 17.

Tamen

Tamen quia in laudatiſsima Hafnienſi Metropoli, vt etiam hic apud nos Lundiæ, & multis alijs præcipuis vrbibus Patriæ noſtræ, quotidie ferè conciones ſacræ habentur, In his, inquam, diutius viuere & verſari ex animo optabat.

Tantus amor Chriſti fuerat veriq; cupido.

Huic ſanctæ diligentiæ alteram curam adiecit, qua conceptam ex verbi prædicatione fidem aluit, duxit, confirmauit. Nam vt fide, Paſsionis & Sanguinis Chriſti merita amplectebatur ad Salutem: Sic eiuſdem Sanguinis effuſi & paſsi corporis religioſa ſumptione & communicatione in vero vſu cœnæ Dominicæ, eandem hanc fidem ſubindè ſtabiliuit & ceu accepto pignore ſacroſancto, indubitatam reddidit.

Maxima pars Magnatum (ne dicam Epicureorum) Religionem ſuæ rationis limitibus includentium, contempto Miniſterio, aut oſcitanter præterito, dum in nullam Dei cognitionem veram aut ſolidam peruenire contendunt, longè aliam pietatis viam ingrediuntur. Exiſtimant enim Chriſtiani & pij hominis officio ſatis ſuperq; ſe perfunctos eſſe (quod quidem in tanta reuelatæ veritatis luce fieri deplorandum eſt) ſi imagunculam aliquã erexerint, vel abollam infulaſq; Sacerdoti, vel Altari nouum tegumentũ Inſignibus ſuis ſplendidum, vel etiam cruentarum Exactionum portiunculam aliquam egenis contribuerint, vel ipſi Rapſodias aliquas precum vix intellectarum emurmurauerint, vel ad ſeruiendum pro ſe Deo (vt dicunt) Mercenarios conduxerint: Tum igitur illi Pietatis & Religionis profeſſores & promotores opinantur ſe eſſe ſolertiſsimos. Cũ itaq; de doctrina Chriſtiana, vel ſeparatim de Articulis fidei illis diſſerendum eſt, inſipidas planè Ethnicas & Blaſphemas voces effundunt, ſuamq; Sen-

tentiam rogati, pronunciant vel professioni suæ contrariam, vel talem quæ nihil Religionis, nihil Pietatis, nihil Sanctimoniæ, sed tota Rationis mundanæ deliramenta sapiat. Hinc censores illi Religionum accurati ita statuunt, Pontificiam lernam superstitionum, à Repurgata veritate, quam Dei beneficio hausimus & profitemur, nihil admodum differre: Ideo tamen isti hanc præferendam esse, quòd imminuat sacrificulorum Iurisdictionem, & suam politicam Autoritatem magis stabilire videatur. Hinc bella interpretatio nascitur dicti fundamentum Salutis nostræ complectentis: Quemlibet sua fide iustificari: quod sic detorquent & fraudulenter exponunt: Conceptam cuiusuis opinionem qualemcunque coram Deo valere, siue sit Ethnica, siue erronea, siue consentiat cum verbo Dei, siue repugnet: Quasi verò fides illa iustificans, nuda esset tantum opinio nostrarum ridicularum cogitationum de Deo & eius voluntate: Aut extra Christum aliquid esset, quod fides appellaretur: Vel plura essent fidei iustificantis genera, quàm vnum illud, quo apprehenditur Misericordia Dei oblata in Filio, vna cum Remissione peccatorum, iusticia & vita æterna. Hinc conscientiæ horribiliter vulneratæ & metuenti Diuinam vltionem, tali medicamento succurrunt, Vt Tyrannidis & immanium scelerum suorum Sarcinam in eos deponant, per quos suam libidinem exercuerunt, Se verò immunes, insontes atque innocuos esse putent, & ab omnibus haberi velint.

At vt hæc odiosa, sed nimis nota & peruulgata, iusto & non conniuenti iudicio Dei relinquam dijudicanda & punienda: multum his discrepantes fructus pietatis de vera noticia Dei & præsentia Spiritus sancti testantes nostra D. Elisa protulit: Ad quorum testifica-

catio-

cationem in solenni illo & ab omnibus metuendo Iudicij extremi die, pronunciaturus est filius Dei, & æternam mercedem suis in D. Elisa donis aßignaturus. Siue enim in egena Christi membra, beneficentiam; Siue in afflictos & oppressos, commiserationem: Seu erga Maritum, subiectionem & amorem: Seu in liberos, maternum affectum leni seueritate temperatum: aut in domesticarum rerum administratione, prudentem vigilantiam: aut erga omnes homines honestam beneuolentiam, consideres; plenißimo testimonio confirmabunt D. Elisam vas misericordiæ Dei fuisse electum ad æternam vitam.

Sed de ipsius munificentißima liberalitate in pauperes multa hîc adferre superuacaneum fuerit, cum ea ab omnibus deprædicetur quorum viscera toties refocillauit. Vnum tantum & illud memorabile, vt postremum in egenos beneficium adiecisse hoc loco suffecerit. Animaduertit facilè sanctißima Matrona, obuijs illis & publicis mendicis omnes ferè subuenire: perpaucos verò miserorum puerorum rationem habere, qui cum literis discendis consecrati fuerint, mox victum mendicando quærere coguntur, Cum tamen horum mendicitas in ditißimorum etiam vsum & salutem plærumque vertatur. Institit igitur apud dilectißimum Maritum suum sæpius, præcipuè verò cum hinc sibi discedendum esse præsentisceret, vt mille nummos Ioachimicos Scholæ nostræ Lundensi donaret, ex quibus nonnihil subsidij tenuioris fortunæ scholasticis quotannis accederet. Cuius sanctißimo voto & voluntati extremæ plenè optimus Maritus satisfecit. O sancta liberalitas quæ præsenti miserorum inopiæ subueniendo, posteritatem insequentem magna doctorum hominum copia beabit. Sic subinde deprædan-

dantibus aliјs Scholas & Ecclesias, Deus Opt. Max. Scholarum & Ecclesiarum princeps aduocatus, suscitat illis nouos Patronos & Nutricios: Inter quos Clementissimi & Illustrissimi Regis nostri nunquam satis laudatam liberalitatem, Summa nobilium & bonorum hominum inferioris sortis turba imitata, benefaciendo doctrinarum cultoribus, inter se certare videtur. Nimirum,

Regis ad Exemplum totus componitur orbis,
Vtque ducum lituos sic mores castra sequuntur.

Quin & ipsa lectissima Nobilitas Danica in hoc studiosissimè nunc incumbit, vt ad Sanguinis splendorem & militiæ decus, ingeniј adiungat in omnibus Doctrinarum generibus culturam. Non solum igitur Magnatum subsidiјs: Verumetiam eorundem stimulis quamplurimi aliј fouentur & impelluntur ad perquirendam veram Eruditionem: Ita vt Dei beneficio. Omnes ferè Regni Ordines & faueant doctis, & sint exculti Studiјs, & Philosophi philosophis imperent ac pareant. Oppugnauit olim & expugnauit etiam fortissima & numerosissima manu, Gothica nostra gens vrbem Romã, mundi Dominam, Artium, Ciuilitatis & militiæ Magistram: Iam verò antiquam Victoria Sedem repetẽte, nos Latiј præda facti sumus, lingua et institutis eius penè viuentes: Sed tamen vt penes nos ita debellatos triumphi celebritas maxima consistat, & vt diu consistat, sumatque cum tempore incrementa: præcipuè verò vt inter nos veram sui Noticiam perpetuò spargat Deus, & in ea constanter nos conseruet: ex toto animo opto.

Reuertar autem ad D. Elisam: In qua singularis eius in miseros & quacunque calamitate oppressos commiseratio, consideranda nunc venit. Non solum enim illi qui penuria rerum ad victum aut vestitum

per-

pertinentium affliguntur sunt miseri iudicandi: Verumetiam doloribus obruti, vinculis constricti, metu perculsi, infortunio turbati, vel etiam morbis grauati, iure miseri censentur. In hos, inquam, eo erat animo ac si illa pariter ærumnosa sorte cum ipsis opprimeretur. Hæc miseriarum communio cum omnibus hominibus, in nullos præter sinceros Christianos cadere potest. Sicut enim hi vnius corporis membra sunt ab vno capite, Christo nimirum, dependentia vniusque Spiritus ductu gubernata, Doctrinæ & Professionis eiusdem vnam eandemque metam vno eodemque cursu consectantes: Ita etiam miseriarum hi potissimum inter se societatem retinent, præsertim cùm indubitata quadam & communi spe Resurrectionis & plenæ Redemptionis ac futuræ gloriæ in æterna vita, omnes & singuli suffulciantur, vt verè de his dici possit: οὐκ αἰσχρὸν ἀνθρώποισιν ἀλλήλων κακά. Si quando igitur, vt de multis pauca proferam Christianæ commiserationis Exempla, facinorosorum hominum & supplicijs destinatorum D. Elisæ innotuit calamitas, nunquam destitit eos sollicitare, sub quorum potestate detinebantur, priusquam vel carceris acerbitas, vel supplicij immanitas, vel miseriarum diuturnitas aut in totum ablata esset aut saltē diminueretur. Si verò grauioribus morbis oppressi decumberent aliqui tam noti quàm ignoti; hos inuisere, consolari, quibus potuit medicamentis subleuare & nullis non officiorum generibus afficere studiosissimè consueuit. Cum in vicinia honestarum Matronarum partus instaret, quamuis multis dignitatum & fortunarum gradibus ipsas anteiret: Tamen in difficillima illa colluctatione non dedignata est opere & ministerio molestissimè laborantibus succurrere: Atque tali officio reliqua fidei suæ opera consignabat, cum paucis antē diebus quàm ipsa in extremam debilitatem incideret

honestæ

honestæ & piæ fœminæ Catharinæ, Reuerendi viri D. Iacobi Gronnebechij Pastoris in Helsted vxori ex partus difficultate ad mortem vsq; afflictæ fideliter & sollicitè operas requisitas præstaret.

Subiungerem quædam, mi Magne, de sancta & in omnium officiorum genera diffusa familiaritate & contracta ac conseruata cum bonis hominibus amicitia D. Elisæ, si ea cùm in tuo tùm aliorum animo qui illam nouerunt, altius defixa, & frequenti recordatione indies reiterata longiorem orationem respuere non videretur. Suauissimæ enim conuersationis & familiaritatis ipsius, comitate, beneuolentia, candore, constantia, integritate, munificentia, & omnium virtutum concursu ornatæ & honestissimis rationibus initæ & confirmatæ memoriam, (vt de meipso separatim asseuerem) tam diu viuam inuiolatamq; conseruabo,

Donec erit pectus, vitaq; donec erit.

Ac mihi quidem hæc de D. Elisa referenti in memoriam reuocatur D. Brigitta Gøye, genere illustris, virtutibus clarior, pietate & meritis incomparabilis Matrona, non quòd illius nunc tantum recorder, cum indelebilia summarum qua florebat dotum, & in me innumerabilium beneficiorum vestigia perpetuò ante oculos versentur (versabuntur autem quamdiu cor mihi & cerebrũ fuerint) Sed vt has duas velut lampades extollendo, posteritati Nympharum subsecuturæ clariorem ad exquisiti decoris fastigium viam patefaciam. fieri enim non potest quin in vtriusq; mores & vitam respectantibus, ad honestatem sectandam & verecundiam liberis inijciatur ingenijs stimulus. Δεινοὺς γὰρ ἂν παρεῖχεν ἔρωτας ἡ φρόνησις ἄντι τοιοῦτον ἐναργὲς εἴδωλον παρείχετο ὄψιν ἰόν.

Restat

Restat spacium illud in Coniugio & Domesticarum rerum administratione traductum. In quo pertractando plurima occurrunt castitatis, prudentiæ, sedulitatis & aliarum Oeconomicarnm virtutum Exempla, vt & hæc vitæ pars ad imitationem proponi poſsit omnibus ijs fœminis, quæ in Coniugio versantes curam familiaris rei & priuatæ gubernationis sustinent. Sed breuior ero, ne Epistolæ limites longioribus Narrationibus transilire videar, quamuis hîc materiæ dignæ copia & splendidiore Stylo offerantur.

Dulcis illa Coniugum societas, à Deo Opt: Max: primùm instituta & ad propagationem humani generis ordinata, solo mutui & casti amoris vinculo colligata, tam firmirer cohæret, vt in eo duo corpora animorum & voluntatum consensu in vnum coalescant. Hoc enim puri & non simulati Amoris affectu profligato, nulla arctior confœderatio interConiugatos oriri, nec si inita fuerit diuturnitatis stabilimentum acquirere potest: Interueniente autem, indiſsolubilis illa redditur, omnesq; neceſsitudinum conglutinationes vel sanguinum propinquitates pertinacia & firmitudine exuperat. Ἀνδρῶν γὰρ καὶ γυναικῶν κοινωνίας ἄλλην οὐκ ἂν εὕροι τὶς, οὔτ᾽ ἀναγκαιοτέραν οὔτε προσφιλεστέραν.

Non solum igitur D. Elisa sub initijs Coniugij sui, huius casti & laudabilis amoris flammis beneuolentiam optimi Mariti in se concitauit: Verumetiam vnà cum tempore affectum intendente, quàm non sibi mille Amorum vinculis illum deuinxit; Vndè factum est vt conuictus ipsorum placidiſsimus, mutuæ compellationes dulciſsimæ, imperandi & obsequendi communis voluntas, operarum & officiorum viciſsitudo, καὶ δύο μὲν σώματα μία δὲ ψυχὴ extiterit: Hinc contentiones & conuicia, hinc ficta & simulata, hinc suspecta & sollicita exularint.

Solent homines ingenij leuioris speciem quandam Amoris & officiorum ac Studiorum præ se ferre, quoadusq; molestia omnis, & dolorum ac miseriarum communio abfuerit: quæ quàm primùm ingruerint animum mutant, & spretis veteribus, nouis Amorum delicijs indulgent, & vt Poeta inquit

Turbinis instar
Quem pueri magno in Gyro, vacua atria circum
Intenti exercent ludo: ille actus habena
Curuatis fertur spacijs &c. fluctuando oberrant.

Verùm vt de voluptatum illecebris nihil dicam, quibus minus permouebatur D. Elisa: Certè ærumnarum & ægritudinum sortem vnà cum Marito prompta semper subijt: Hancq; συμπαθείας vicissitudinem, altero ex his malè affecto, obseruabant illi, vt difficile fuerit iudicare, vter grauiores cruciatus sustinuerit: Ille ne qui graui morbo vrgeretur, an verò ille qui commiseratione & lachrymis torqueretur. Præclarè igitur vt omnia Plutarchus, ὥσπερ ἐσόπτρου κατεσκευασμένου χρυσῷ καὶ λίθοις ὄφελος οὐδέν ἐστιν εἰ μὴ δείκνυσι τὴν μορφὴν ὁμοίαν, οὕτως οὐδὲ πλουσίας γαμετῆς ὄνησις εἰ μὴ παρέχει τὸν βίον ὅμοιον τῷ ἀνδρὶ καὶ σύμφωνον τὸ ἦθος.

Atq; ita veluti in Speculo Sors & valetudo, dolor & voluptas, aliæq; animorum & corporum affectiones communes in alterutro horum representabantur.

Adiunxerat sibi ingenuum in hoc Coniugali consortio Amor hic ingenuus comitem, quem ab illustri natura Candorem appellamus, sine quo is nec verus est, nec diu perdurare potest. Nihil enim simulatum est diuturnum. Quare, cum animorum & voluntatum Studia sibi inuicem nota fuerunt, subsecuta est consiliorum & deliberationum beneuola

com-

communicatio, quæ vt in Rerumpub: gubernationibus, Sic in Oeconomica administratione est necessaria & salutaris. Nam vt alia omittam: Quoties D. Elisa mariti animum in iustam iram nonnunquam procliuiorem (Sunt enim Heroum Spiritus concitatiores) represit? Quoties moderationem suasit stricto iure in delinquentes subditos animaduertenti? Quot inimicitias dissoluit? Quot transactiones instituit? Quàm sæpè ad perferendas patienter iniurias iam iam se ad vindictam parantem est cohortata? Quanta cum prudentia ea subiecit, quæ videbantur sine aliorum detrimento suum commodum promotura? Hanc igitur, hanc, inquam, quis non rectè fidam consultricem, domus Stabilimentum, coronam Mariti, Augustissimis Siracid: appellationibus, nominauerit? At vbi occulta omnia sunt & fuco obtenebrata, vbi obducti animorum recessus, vbi nulla, aut quàm mellitissima oratio, vbi deliberationes solitariæ in profunda cogitationum specu volutatæ: Nihil constans, beneuolum, fidele, sincerum in vlla consociatione, ne dicam in Coniugio, esse potest. Quod igitur Momum, in hominis opificio, clathratum pectus & fenestellis apertum desiderasse ferunt, cùm plærumq; aliud oratio & frons referat, longè adeò aliud cor humanum sentiat: Si quis ætatis nostræ in omni vitæ Statu deploratissimos mores, laruatos verborum dolos, Animum linguæ repugnantem, Manus ab oculorum ductu auersas, consiliorum & actionum ambitus & labyrinthos, diligentiùs animaduertat: reprehensionem fortè ipsius iure optimo approbabit. Atq; hæ fallaciarum & imposturarum furiæ (proh dolor) non modò fora publica inuaserunt: Verumetiam quam plurimorum thalamos perruperunt. Ita candor in hoc æuo res intermortua penè est.

Rei familiaris curam Marito, publicis & grauioribus occupationibus intento, in se recepit D. Elisa. Sed illam sustinuit tanta fide, studio, industria, tam prudenter & circumspectè, vt in fœminam, tantam in agendo solertiam & in gubernando prudentiam cadere posse, vix quisquam credat. Nam toti familiæ præluxit exemplo pietatis, vigilantiæ & diligentiæ. Cumq; ipsa nunquam ocio difflueret: Sic nunquam permisit illam familiæ partem quæ sibi militabat, aut nihil, aut malè agere. Operas iniunxit necessarias & tempori & personis conuenientes: Iniunctas vrgendo, nonnunquam præeundo, interdum moderando accelerauit & ad finem perduxit: Rem familiarem hoc pacto conquisitam & adauctam decente parsimonia conseruauit, &, quod in administratione domestica maximè expedit, suos benè satisq; pauit & benè vestiuit: Desides verò & proteruos (quales plærumq; sunt vt conditione sic & ingenio serui) seueriùs sed citra virulentiam & contumeliam obiurgauit: Diligentes & in officio assiduos, potissimùm verò pedissequas suas, quæ fideliter sibi inseruissent, in Matrimonium elocatas dotauit & ditauit, alijsq; præmijs cumulatas à se dimisit. Non mirum est igitur quòd huius sanctissimæ Dominæ, velut amissæ matris indulgentissimæ obitum, relicta familia luctu & fletibus profusissimis prosecuta sit.

Liberos ex Diuina benedictione veluti Amoris & fidei coniugalis pignora susceptos, ex quibus quinq; adhuc supersunt, Metta Grubbe, Siguardus Grubbe, Martha Grubbe, Catharina Grubbe, &, Regissa Grubbe, Hos, inquam, etsi vterq; parens ardentissimo affectu complectebatur (Sunt enim hæ στόργαι in generosis naturis & à belluina feritate alienis ergo sobolem

feruen-

feruentiores & conſpectiores) Mater tamen teneram horum infantiam educabat & enutriebat magna cum ſollicitudine & cura. Deinde prima Religionis Elementa ſeu Aphoriſmos doctrinæ Catecheſeos ſtatim cum ipſo lacte his inſtillabat, futurum optans & ſperans, vt hi ramuli oliuarum iam tenelli rectè inſtituti in firmamenta Eccleſiæ & patriæ adoleſcerent, & tandem electis aſſcripti fierent æterna Miſericordiæ Dei vaſa. Poſtremò, ad ciuilitatem mores inflexit & honeſtatem, ſine quibus omne generis ac propaginis decus & diuitiarum ſplendor cōncidit: idq; tùm præceptis & admonitionibus, tùm præcipuè vitæ ſuæ innocentis & integræ exemplo.

Non ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent, vt vita regentis.

Inſuper vterq; parens ardentiſsimis quotidie precibus vitam & ſalutem liberorum ſuorum Deo commendabat, & his ſanctorum Patriarcharum more Myriades benedictionum precabatur. In hoc etiam ſtudioſiſsimè vterq; incubuit, vt famæ gloriam inclytam poſt ſe relinquerent poſteris, qua nihil præſtabilius eſſe poteſt. Nam

οὐκ ἔστι τοῦδε παισὶ κάλλιον γέρας
ἢ πατρὸς ἐσθλοῦ κἀγαθοῦ πεφυκέναι.

Et certè ſi generationi Rectorum benedicetur, nihil dubito de huius Sanctæ Stirpis fœlici propagatione: quin ea ſit pietatem & honeſtatem ſuorum parentum conſectatura, & ſua virtute auitum decus & celebritatem locupletatura, & omnium noſtrum voto & expectationi exactè reſponſura.

Sed venio ad poſtremum vitæ actum in quo pertexendo omnem ingenij & orationis facultatem mihi ademptam eſſe ſentio. Imputes igitur dolori meo, dulciſsime Magne, qui hac commemoratione

recrudescit, quod sterili, & singultibus ac lachrymis interrupto & deformato stylo exitum salutarem vitæ tam præclarè traductæ, describam.

Præsensit D. Elisa, idq; Spiritu sancto quo regebatur, numerum dierum suorum sibi patefaciente, tempus dissolutionis suæ instare: toto ferè prius anno quàm hinc ad consuetudinem æternam omnipotentis Dei migraret. Quotidianis enim Sermonibus huius transitus opinione breuius futuri meminit, idq; sine vlla reformidatione aut horrore, quem incutere solet hominibus mundanis Mortis recordatio. Hic (inquit sœpius) partus qui imminet, & postremus mihi & lethalis erit. Cùm igitur à virginibus suis, quas habuit duas, & venustatis & pudicitiæ laude vt generis claritate insignes, Martham & Eddelam, Nobilis viri Matthiæ Stenonij filias, interpellaretur continuò, ne sibi mala ominaretur, esset tantum fortiori animo, & Deo euentum committendo meliora speraret, Tum illa: Mecum benè agetur, inquit, nec de hoc sum sollicita aut dubia. Vtinam Marito meo dulcisſimo & liberis relictis, quos omnibus commodis & rationibus vitæ meæ antefero longa lucis vsura & fœlix concedatur. Cum adhuc firma esset valetudine, pueri aliquando colludentes in Gynecæo Cachinnos & strepitum excitarant: tum illa virginibus, Miramini, ait, quod solito more meo non reprehendo pueros in mea præsentia tumultuantes. Ego verò idcircò conniueo ipsis, quòd breui me sint desideraturi, & peregrinos habituri morum inspectores. Hi clamores igitur & turbæ mihi nunc sunt gratiores omni concentu Musico.

Huiusmodi Sermonibus cùm declarasset ingruentis fati se præsciam esse: totam se etiam ad huius

vitæ

vitæ exitum præparauit. Etsi enim nihil de cura gubernandæ familiæ remisit, nihilque à veteri pietatis, comitatis, verecundiæ, amicæ consuetudinis & hilaritatis honestæ Statu alienaretur, nihilque luctuosum, horridum, asperum, aut meticulosum præ se ferret: Tamen quòd inuocationi filij Dei quotidianæ, & Psalmorum lectioni ardentiùs incumberet, maiorique alacritate & Studio ad Conciones publicas & Cœnam Domini accederet: Tûm collecta & in ordinem disposita ac rationum tabellis inscripta vniuersa Supellectile, domum suam disponeret: Non obscurè indicauit aliò sibi proficiscendum esse. Reuera autem ex hoc mortali diuersorio ad immortalitatem Dei & omnium Sanctorum consuetudinem profecta est.

De hac præsensione temporis obitus non ignoro, Mi Magne, varias esse & discrepantes, cùm Philosophorum, tùm Theologorum opiniones. Ego verò adduci non possum vt aliter statuam, quàm quòd hæc præsagia diuinitus pijs hominibus immittantur, vt non imparati à morte occupentur, Sed admoniti ea conquirant adminicula, quibus tanti hostis impetum sustinere & tandem superare possint. Sic nostra memoria Illustrissimus & Christianissimus Rex *CHRISTIANVS* eius Nominis III. non solum Regnorum suorum, Sed Mundi & ætatis suæ decus incomparabile, ab Angelo commonefactus est, quo die & momento emigraturus esset ex hac vita. Sic & Heros laudatissimus D. Herluffus Trolle, cum ex vulneribus in Nauali prælio, in quo Archithalassus & Princeps ductor erat, influctis, Hafniæ decumberet, et Gangræna inflammatus torqueretur: Die, inquit, Lunæ liberabor & ab hoc algore & æstu, quod & factum est.

Itaque persuaderi non possum vt sentiam Naturali

turali indagatione peruestigare posse homines terminum vitæ suæ propositum: nec Genijs constare, vt Plato de suo Socrate refert, quo tempore morituri sunt illi, quorum socij & moderatores in hac vita fuisse perhbentur: Sed Deum patefaciendo decretum voluntatis suæ, idq; non omnibus, sed quibusdam, ijsq; Sanctissimis hominib. de Statuto viuendi tempore præmunire ipsorum animos & declarare suo solius iussu non mortis aut Diabolorũ imperio ipsos hinc euocatum iri, Hoc verò mihi persuasissimum est. Vnde pij de Numero dierum suorum certiores facti Diuinitus, κύκνειο ἆσμα dulcissimè modulari ante suam ad Patres collectionem consueuerunt, vt Regius vates Dauid Psal: xviij, & Simeon ardenter missionem ex huius vitæ militia ab ipso vitæ & mortis Domino, Domino IESV CHRISTO, quem vlnis fidei pariter & corporis complectebatur flagitans & obtinens, fecerunt. Ad institutum autem his relictis reuertar.

Cum rerum domesticarum Supellectibilem in ordinem dispositam tabulis inseruisset D. Elisa, & nihil nunc esset quod ipsius animum in cogitatione Mundanorum negotiorum & curarum detineret: & non modo suo præsagio: Verumetiam infœlici multarum parturientium Matronarum hoc anno successu, Debilitatis suæ admoneretur: Caducis his & importunis Mundi molestijs reiectis, ad æternitatis commercium se totam præparauit. Quare paucis ante profestum Pentecostes diebus Ministrum Verbi, Reuerendum & doctum virum D. Magnum, Pastorem Horloffuensem ad se accersiuit, qui cum concionem aliquoties habuisset in Gynæceo, & Sacramentum Cœnæ Dominicæ ipsi postremùm ministrasset, animo infracto certamen cum morte inire non dubitauit.

Octauus

Octauus hic erat partus & omnium luctuosissimus. Nam & fœtui & matri Mortem attulit. Hæc tamen octiduum superuixit: quo spatio in lucta acerbissima constituta, Christianæ fortitudinis & patientiæ Exemplar clarissimum post se reliquit. Consolationibus enim promissionum Diuinarum se erexit & muniuit, & subijcientibus alijs locos Scripturæ de gratuita remissione Peccatorum, Iusticia, & vita æterna, repetendo eos & sibi applicando magnæ fuit consolationi. Dulcissimum Esaiæ dictum reiterauit frequentiùs: Etiamsi peccata vestra fuerint vt coccinum, tamen vt nix dealbabuntur. Et illud Psalmi Danicis Rithmis comprehensum: Quantum distat ortus ab occidente, longè fecit à nobis iniquitates nostras. Item illud Iohannis: Sanguis IESV CHRISTI emundat nos ab omni peccato. Semper autem interspersit suspiria, & pro remissione Peccatorum æternum Patrem propter filium ardenter interpellauit. Maritum mœstissimum & quidem iure optimo, per hos dies dulciùs est allocuta, & spem recuperandæ suæ Sanitatis illi iniecit, ne gemino mœrore excruciatus opprimeretur. Semper autem curam liberorum ipsi commendabat, obtestans vt eos in timore Domini & honestatis Exercitijs educaret, & in ipsos solos vniuersum Amorem, quo se esset sincerè & impensè complexus, transfunderet. Illuxit dies Maij tricesimus, quo cùm animaduerteret sibi hinc discedendum esse, ipsa precationibus occupabatur, & alios circumstantes cohortata est, vt pro se Deum Opt. Max. & clementissimum Patrem orarent, quo salutari termino absolueret hanc vitam, & Creatori animam sanguine Christi redemptam & sanctificatam Spiritu sancto incunctanter redderet. Delectabatur autem Hymno Danicis Rithmis à Reuerendo & doctissimo viro piæ memoriæ D. Magistro

 Iohan-

Iohanne Thoma ex dicto Augustini: *Turbabor sed non perturbabor, quia vulnerum Christi recordabor,* composito, quem illa ipsa aliquoties intentis in cœlum oculis & animo recitauit, & vt sibi loquela deficiente recitaretur petijt ab honesta Matrona Cecilia Thuonis coniuge: quem Hymnum quia est plenissimus consolationũ sic in Sapphicum Carmen transfundere libuit.

Cvm breuis uitæ Statione pellor,
Et uiam cœlo gradior ferentem,
Christe ne fallat miserum caueto
Deuius error.

Quam mihi mentem dederas remitto,
Hanc tui serues precio redemptam
Sanguinis, ne Mors laqueo reuinctam
Strangulet arcto.

Me licet flagrum laceret reatus
Et grauet pectus sceleris nefandi
Conscium, Vermis penetrans remotas
Dente medullas

En tuo fretus rutilo cruore
Vulnerum, uinco uarios furentis
Hostis insultus, medeorq; morbis
Pectoris ægri.

Corporis membrum quoniam sacrati
Sum tui lætor, neq; me reuellet
Insitum quisquam, neq; mors peremptum
Dissociabit.

Non enim Morti morior cruentæ,
Sed tibi per quem moriens resurgam
Viuus, & consors melioris æui
Reddar in æuum.

Non enim clausus tumulis manebo
Mortuus, uerùm rediuiuus olim
Signa festiui Duce te triumphi
Consequar alma.

Ergò cum scandis penetrale cœli
Iunctus æternum ferar ipse tecum
Stringe, discedam, libithina lætus
Tela pharetris.

Appro-

Appropinquauit tandem exitus, & iam lingua diriguit, oculi exhebetati sunt, vires conciderunt: Maritus itaque qui ab Amicis in aliud conclaue deductus erat, cum se nonnihil recollegisset, valedicturus dulcissimæ suæ sociæ, denuò Gynæceum ingressus, vix in has voces propter doloris magnitudinem erupit: O ter dulcissima Coniunx vale, pro tua suauissima consuetudine, fida societate, innumeris beneficijs Deus Opt. Max. in æterna vita præmium tibi reddat. Atque hæc cùm hianti & luctuosissima voce dixisset, penè collapsus est in terram: Sed erectus ab Amicis præsentibus in conclaue vicinum reductus est. Illa interim cùm nihil respondere linguâ posset, manuum indicio, ad acclamationes, Pastoris significabat se audire, quæ dicebantur & ea sibi indubitata fide applicare. Ita Christum loquenti lingua nunquam defuit.

In hac confessione & inuocatione filij Dei constanter permansit, donec per placidissimam mortem, quæ circa Meridiem ingruebat, iter ingrederetur ad vitam æternam.

Habes, dulcissime Magne, simplicem & veram Narrationem, complectentem curriculum vitæ Nobilissimæ Matronæ D. Elisæ nostræ, quam loco parentationis debitæ, & significationis grati & memoris animi esse cupio. Etsi enim non dubito, quin ociosi nostrorum laborum censores adulandi me causa hæc conscripsisse dicturi sint: Tamen cùm & ingenij mei natura tibi sit notior, & hæc quæ commemorantur de D. Elisa vel te teste verissima sint: Parum aut nihil omninò Sciolorum & Sycophantarum criminationes & censuras reformido. Tu vnus eris, si hæc tenuia quidem, & meritis ac virtuti laudatissimæ D. Elisæ minora, at beneuoli animi indicia, tibi placuerint, in cuius solius

iudicio acquiescam. Placuisse autem tum demũm intelligam, cũm ad repetitam sollicitationem meam huic lugubri Narrationi meæ ea subieceris, quæ conceptos ex amicorum obitu dolores tollant aut mitigent, & hæc etiam funebria lectu minus acerba reddant. Qua in re & clarisimo Heroi D. Hilario Grubbe & omnibus nobis cum ipso communi mœrore perculsis mirum in modum gratificaberis. Benè vale, dulcisime Magne, & semina æternæ inter nos amicitiæ iacta, diligenti & assidua officiorum & beneuoleutiæ culturâ mecum fouere ne desistas.

Filius Dei Dominus noster *IESVS CHRISTVS*, te suo Spiritu sanctificatum defendat & gubernet, & faciat te & tuos omnes vasa Misericordiæ Dei hæreditate occupatura æternam vitam,

A M E N.

Lundia Schanorum Aprilis
die *III.* Anno Salutis
M. D. LXXVII.

Christianus Machabæus
Alpinas.

AD PRAECEDEN-TEM EPISTOLAM RESPONSIO,

COMPLECTENS PRAECIPVAS CONSO-LATIONES, QVIBVS SESE ERIGERE *pÿ in Morte ſuorum poſſunt, & debent.*

HAFNIÆ

Anno

M. D. LXXVII.


1576

CHRISTIANO MACHABÆO ALPINATI, CANONICO LVNDENSI, COLLEGAE, AMICO ET FRATRI CONIVNCTISSIMO.

S. D. P.

EPistolam tuam dulcißime Machabæe & idem Amice coniunctiß: accepi & legi, eruditam sanè illam ac piam, Sed qua veterem nobis dolorem renouas & vulnus, quod vix dum Cicatricem duxisse videtur, denuò refricas repetita mentione nobis per quàm luctuosi obitus lectißimæ fœminæ D. ELISÆ BIORNONIS STENONII F: quam haud ita pridem neq; id sine grauißimo dolore amisit Coniugem suauißimam Magnificus & Generosus Mecœnas noster D. HILARIVS GRVBBIVS.

Huius tu fœminæ vitam simul vniuersam Oratione luculenta exponis, copiosiùs quidem vti plærisq; videri poßit, quàm pro modo Epistolæ, meo verò iudicio, nulla alia de causa, quàm vt hac ratione declares euidentiùs, quanti tu hanc feceris, faciasq;, iustißimo tuo dolori indulgens liberiùs. Videmus namq; id in

more positum his qui lugent & supra modum sunt mœsti, vt in significanda mœsticia vix modum teneant. Vrgente enim vi doloris, aut planè redduntur elingues ac muti, &, vt ille ait, vox faucibus hæret: aut semel ora soluentes, nullum faciunt querelarum finem, dolore ipsos reddente disertos. Quæ quidem seu taciturnitas seu loquacitas nimia, grauissimarum animi perturbationum ipsa quoq; expreßißimum est testimonium & Argumentum.

Cùm igitur non ignorem, quantum tibi sicut & alijs quamplurimis, mœsticiæ vulnus inflictum sit, sublata à nobis optima fœmina optimeq; de te & multis merita, in qua, velut in purißimo speculo, relucebat absolutißima imago omnis pietatis ac virtutis: minus certè miror hanc vbertatem tuam & orationis copiam, ac facilè veniam do mœrori, vt qui mihi quoq; cupiam ignosci verbiosiùs interdum querulanti, si quid animum acerbiùs vrit aut excruciat.

Illud non tàm miror, quàm indignor (si tamen licet Amico vt succenseam) à me peti quò manum medicam adhibeam vulneri verè Chironio, quod Chironia (vt cum Poëta loquar) nec manus leuaret, hoc est, vt planiùs dicam, consolationes ac remedia, quæ dolori concepto ex obitu tantæ Matronæ mederi queant, eruditiß: tuæ & quærulæ Narrationi subijciam. Id vtinam mihi tàm præstare facile esset, quàm tibi facile est istud seu imperare seu petere.

Ego enim ingenij mei exiguitatem ingenuè agno-

ſco, nec ignoro quàm ſit mihi curta, vt Poëta ait, dom. ſupellex, vtut mihi pro tuo in me amore, eruditionem tribuas.

Quis verò non videt longè facilius eſſe, vulnus vel infligere, vel inflictum monſtrare, quàm eidem Pharmaca conuenientia adhibere, quæ doloris ſenſum vel ex parte leniant, vel vniuerſum tollant penitus? Vt de eo interim nihil dicam, ex obitu Matronæ tam præſtantis, tamq́ de me etiam benè meritæ, meum quoq́ pectus ſic ſauciatum, vt ipſe conſolationem requiram, ac ſecundum Comicum: Huic ipſi opus ſit Patrono quem defenſorem paras.

Quamuis autem hæc ita ſe habeant, nec leues ſint cauſæ recuſationis, nolui tamen, vel amori tuo, vel fautricis memoriæ, vel meritis clariſſimi Viri D. HILARII, communis Mecœnatis, & liberorum huius pietati hoc officiolum noſtrum qualecunq́ denegare, vt ſi non omnia, ſaltem præcipua momenta & fontes conſolationum, quibus meipſum in morte Charorum ſoleo conſolari, & in noſtræ huius inprimis D: ELISÆ (heu) nimis nobis immaturo diſceſſu ſum conſolatus, breuiter, & vt Plato ait: πρὸς μικρὸν ὕδωρ, ſeruata quatenus fieri poteſt Epiſtolæ lege, exponam. Ante omnia veniam precatus incompoſitæ Dictionis & Styli ſimplicioris in Materia minimè pompoſa & ſplendida, Vbi ornari res ipſa negat, concenti doceri.

Principio autem illud prætereundum non eſt, eſſe quoſdam homines planè ἀναλγήτους καὶ ἀναισθήτους, qui

vt nullo tanguntur dolorũ sensu, etiam charißimis quibusq; decedentibus: ita nec vllam requirunt consolationem, Quos ego quidem vix homines duco, vt qui præter figurã, nihil habeant humani. Quid enim esse potest humani vbi Storgæ nõ sunt, humanæ societatis præcipua vincula? Vt non dicam etiam fidem hos ipsam planè abnegasse, dicente Paulo, Qui suorum maximè autem Domesticorum curã nõ habet, fidem abnegauit, & factus est infideli deterior. Hos igitur missos facientes, qui nostris sanè non egent remedijs, Cum sint ipsi suo iudicio sani, illud simul consideremus, alios nonnullos esse qui dolorem quidem sentiunt ex amicorum obitu & propriæ mortis consideratione, sed vel nullam desiderant aut admittunt consolationem, vel si desiderant, Philosophicis imaginationib. quibusdam indulgent, quæ nec solidæ sunt nec menti sauciæ planè satisfaciunt, cuiusmodi sunt: Nihil esse in morte præter timorem terribile: Mortem esse optimum naturæ inuentũ: Eandem, larua, quæ nobis apparet, detracta non tam metuendam, quàm appetendam: Hominem lucernæ similem neq; antequã viuere incipiat, neq; post mortem dolori vlli aut cruciatui obnoxiũ: Aliud nihil esse mortem quàm finem miseriarum ac malorum: Eam si sit malum, malum esse necessarium & ineuitabile: Omniũ hominum eandem planè esse moriendi sortem, & cœtera id genus Ethnicorum aduersus mortem præsidia. De quibus in consolatione ad Martiã lugentem filij Mecilij obitum Lucius Annæus Seneca exclamans ait: O ignaros malorum suorum quibus non mors vt optimũ inuentum naturæ laudatur,

quæ

quæ ſiue fœlicitatem includit, ſiue calamitatem repellit, ſiue ſatietatem aut laſſitudinem Senis terminat, ſiue iuuenile æuum dũ meliora ſperantur in flore deducit: ſiue pueritiã ante duriores gradus reuocat, Omnibus finis, multis remedium, quibuſdam votum, de nullis melius merita quàm de his ad quos venit antequam inuocatur. Quæ quidem Senecæ verba, quemadmodum alia id genus Philoſophorum Commenta, inania tantũ ſunt θέλγητρα, quæ vt áb ingenij & ſapientiæ oſtentatione quadã proficiſcuntur: Ita dolorem leniunt quidem ad tempus, ſed planè ex animis non profligant nec eximunt, vt facilè iam conſpici poſſit, ad ſedandum & tollendum ex amicorũ obitu conceptũ dolorem alijs opus eſſe ijsq; ſolidiorib. & magis efficacib. Pharmacis, qualia ſunt quæ ſola Sacra Scriptura ſuppeditat. De his igitur nobis nunc agendum potiſſimũ.

Inprimis autem placet paulò diffuſius, mi Chriſtiane, abs te indicatam & explicatam rationem vniuerſam vitæ D. ELISÆ noſtræ, inde à prima pueritia ad mortem vſq;, apud Parentes, Nutricios, Maritum actæ, in publica & priuata conuerſatione, erga Deum & homines, inter eos qui ſuæ ſortis eſſent & alios, cum Marito, Sobole, familia, & quibuſcunq; tandem Mortalib. Niſi id abs te factum fuiſſet iam laboris nonnihil ac temporis in id vt Cauſæ & conſolationum præcipuum veluti fundamentũ, inſumendum mihi foret. Nam quæ mox de conſolationibus & lenimentis non vanis nec inefficacibus à me dicentur, ea non ad quoſuis homines, Sed ad ſolos pios pertinent, in quorum albo verè cenſendam eſſe eam de qua

nobis

nobis Sermo est D. ELISAM, non solum tua Narratio docet: Verum etiam vnà mecum multi alij, ijq; fide digni homines, quibus hæc erat longè notißima, agnoscunt & testantur. Erat enim ea verè omnium, & sui imprimis generis & gradus Matronarum decus præcipuum.

Hoc igitur posito negotij totius fundamento, quænam nobis videantur præcipua Remedia Amicis demortuæ, huius Marito, inquam, liberis, vniuersæ cognationi, tibiq; et mihi, ac tandem quibuscunq;, apud quos discedens illa desiderium sui reliquit, profutura, age dispiciamus.

Omnium igitur primum cum Scriptura statuo, non casu dari vitam, nec eandem casu auferri hominibus. Nam sciente, volente, ac pro sua inenarrabili Sapientia, iusticia, bonitate, omnia ordinante omnium Autore, Inspectore, Gubernatore, ac supremo iudice Deo, simul in hanc vitam ingredimur, & lucis huius adipiscimur vsuram, simul ex eadem rursus cùm ita Deo visum, velut è statione nostra euocamur. Rectè enim in Deuteronomio Moses ad populum de Deo loquens: Ipse est, inquit, vita tua & longitudo dierum tuorum, hoc est, Autor vitæ & longæuitatis. Piè quoq; & sapienter Iob cum amicis & ipse de Deo differens ait: In cuius manu sita est anima, id est, vita omnis viuentis & spiritus vniuersæ carnis humanæ. Et idem ad Deum, de vitæ humanæ breuitate, conquerens: Numerus, inquit, mensium eius apud te est, constituisti terminos eius qui præteriri non poterunt. Similiter Psaltes & Propheta regius Da-

uid:

uid: In manibus tuis, inquit, sunt tempora mea. Certè nec Parca illa Poëtica, nec fatum Stoïcum, Sed Deus est qui suum tribuit cuiq; curriculum, & apud se descriptam habet vitæ cuiusq; periodum, Qua circumacta ac veluti pertexta, vt est in Ezechiæ Cantico apud Esaiam, tela, vel fabula, iuxta Poëtas, iam decantata, non sine singulari Dei consilio, mortali huic & caducæ vitæ mors ipsa vt supremus fabulæ actus additur. Quod si ne ex passerculis quidem, quorum quinq;, vt Christus ait, væneunt Assarijs duobus, quisquam in obliuione est apud Deum, nec horum vnus sine voluntate cœlestis ac æterni Patris cadit in terram, Quid de hominibus & sanè Christianis dicendum, quos constat præstare multis passerculis? Libenter ergò amplector vt verissimum, & vt consolatione plenissimum magnifacio vsitatum Distichon:

Cuncta Deus videt, audit, agit, moderatur, & implet,
Eueniunt nobis cuncta sciente Deo.

Hanc Dei scientiam, & vt nunc loquimur, prouidentiam, vel negare vel non credere, non solum inscitia, verumetiam impietas est: Rursus eidem se totum vt fideli Gubernatrici commendare atq; commitere, id tandem veram laudem habet prudentiæ pariter & pietatis.

Condidit Deus hominem inspirato, secundum Mosen, in faciem eius spiraculo vitæ, hoc est, eiusmodi flatu seu spiritu, qui planè fuerit & futurus esset immortalis (neq; enim non vult Deus vitam generis humani) Mors autem etiam corporalis illa aliunde acces-

ſit, per Diaboli quidem inuidiam, & peccatum primorum Parentum, Sed Deo eandem ordinante, vt eſſet pariter peccati pœna quædam, & tamen veluti portus miſeriarum ac malorum, quibus hæc vita mortalis abundat. Ideò enim ad Adamum dictum eſt: Donec reuertaris in terram ex qua ſumptus es: Terra enim es, & in terram reuerteris. Quæ verba, non tàm comminationem continent quàm conſolationem: Non fore perpetuas huius vitæ ærumnas, Sed finem aliquando habituras, morte interueniente, qua Reſolutio quædam futura ſit corporis in puluerem, vnde id ortum atq; conflatum eſt. Puluis enim, vt Eccleſiaſtes ad Moſen alludens, ait: reuertitur in terram ſuam vnde erat, & ſpiritus redit ad Deum, qui dedit illum.

Eſt igitur in vtroq; nobis, mi Machabæe, non leuis conſolatio repoſita: Altero quidem, quòd Deo ſciente ac volente (cuius quidem voluntati nos non deceat contraïre) hanc noſtram D. ELISAM extinctam, ex Scriptura cognoſcimus. Altero verò, quod optimo Dei conſilio hinc euocatam, vt finis eſſet ærumnarum, cum eâdem Scriptura confitemur. Quid enim eſt vita hæc aliud quàm miſeriarum quoddam veluti pelagus? vt verè beatus dicendus ſit quiſquis quàm ocyſsimè defungi malis, & vaſta illa infinitorum malorum monſtra ſaluus præternauigare & portum attingere, tot ærumnis ingruentibus atq; prementibus, poſsit.

Non libet hoc loco Catalogum inſtituere periculorum

lorum & calamitatum, quibus obnoxij sunt omnes in vniuersum homines, & sigillatim singularum ætatum incommoda enumerare, quod & ab alijs est factitatum frequenter, & nunc à me in Epistola, non violata huius lege, fieri nequit. Sed & minus necessarium videtur idem, nobis potissimum, mi Christiane, qui ad id ætatis progressi sumus, vt decursum iam sit, si non vtriq; nostrum, saltem mihi iam penè quinquagenario Spacium vitæ maius & melius, nec possit ne tibi quidem quamuis iuniori ignotum esse, qnomodo vel suos beare soleat Mundus hic immundissimus, vt de Ecclesiæ & piorum fortuna in hoc Seculo longè iniquissima nihil dicam. Itaq; hac enumeratione Malorum superuacua prorsus & alioquin ingratissima non inuitus supersedeo. Illud autem simul statuo & statuendum duco, ideo ex hac vita, Deo vocante, emigrare pios, vt à quàmplurimis vitæ præsentis miserijs immunes esse possint, quæ magna sanè est in morte consolatio.

Ad aliam venio quæ mihi certè maioris momenti esse videtur. Non solum enim ex hac vita euocantur pij, optima voluntate & iuxta beneplacitum Dei (in quo & per quem, secundum Paulum, Omnes viuimus, mouemur & sumus, imò cuius sunt pij, etiam cùm moriuntur) Deinde vt ærumnarum ac malorum quæ hominibus contingere in hac vita solent, modus aliquis sit ac finis: Verùm multò magis vt ijdem

beatiores reddantur hinc euocati. Parum enim est à malis liberari, nisi & bona eueniant quæ & obliuionem inducere poßint eorum quæ obfuerunt, & fœlicitatum cumulo aliquo beare liberatos poßint. Sed quænam, inquies, sunt bona quibus gaudent hac vita defuncti? Volo de piè defunctis me intelligas loqui, inter quos merito numero eam de qua nunc verba facimus.

Huic igitur & alioqui pijs omnibus in Domino defunctis primum hanc fœlicitatem accidisse Scriptura testatur, quòd & viuant à morte & dulcißima fruantur Dei & beatorum consuetudine, inq; ipsa manu Dei sint atq; seruentur, quo quid potest esse aut dici vel maius vel melius? In Abrahæ Deo proximi & longè gratißimi sinu lætus quiescit à morte Lazarus. in Diuinam illam & cœlestem Paradisum recipitur cum filio Dei regnaturus Latro, eoipso quo crucifixus est die. Solutum quoq; ab hoc Mortali corpore, cum Christo se futurum Paulus ipse non solum optat sed & confidit & asserit. Ac præclare in libro Sapientiæ seu à Philone Iudæo, seu ab ipso Salomone, vt quidam volunt, dictum est: Iustorum animæ in manu Dei sunt. Et Christus apud Iohannem omnium dulcißimè: Pater, inquit, quos dedisti mihi, volo vt vbi ego sum, & illi mecum sint, vt videant claritatem meam, quam dedisti mihi.

Primum igitur id est ac summum beneficiorum Dei erga pios hac vita defunctos, quòd hi non planè extinguuntur, nec in locum aliquem relegantur secretiorem

rem

rem aut remotiorem, vbi aliquamdiu ipsis latendum sit, ad vniuersale vsq; & extremum illud Orbis totius Iudicium. Multò verò minus vocantur ad carceres, tormenta, plagas, ærumnas, à quibus iam plenè liberati sunt & exempti, Sed ad Dei ipsius & sanctorũ Angelorum adhibentur consuetudinem familiariorem, inq; ipsius Dei velut oculis versantes fruuntur conspectu huius longè iucundissimo, & in manibus eiusdem gestantur atq; seruantur, vnde ipsos Nemo, ne ipse quidem Satanas cum omni inferorum potestate, queat eripere.

Cum hoc Dei conspectu & consuetudine coniuncta sunt alia bona immensa & iunumerabilia, de quibus Paulus Esaiam citans, ait: Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus his qui ipsum diligunt. Hæc appellationibus ferè vitæ æternæ & Regni Dei, Item Regni cœlestis ac æterni continentur. Suntq; horum præcipua & veluti genera bonorum tria hæc: Noticia Dei pariter & suiipsius, adde etiam, quarumlibet rerum plenior multo quàm quæ est huius vitæ: Tum absoluta Iusticia sine omni iniquitate, Et lœticia in Deo summa ac sempiterna. Eorum bonorum spem solam habent in hac vita & ante mortem pij omnes, mox à morte initia percipiunt & quasi primitias eorundem, in fine tandem Seculi, à Resurrectione corporum, & iudicio extremo, plenissimam eumq; omnium dulcissimam habituri possessionem.

Si quis est quem hæc non delectant aut afficiunt bona, vel si cui præ huius seculi delicijs sordent eadem.

hunc neq; Christianum neq; etiam hominem dixero, vtpote rationis penè expertem & tantum non fungum ac stipitem. Verè autem Christianis ac pijs iucundißima est, & merito esse debet harum rerum non tàm cogitatio quàm sensus & fide tantum in hac vita ac spe minimè dubia, constans Experientia.

Verùm addamus & alia. Nam quæ modò dixi ad animas potißimum referri videntur, quas non extingui cum corporibus ex Paulo antè citatis Scripturæ locis est manifestum. Quod ad corpora attinet, intereunt quidem illa, & in tenuißimas pulueres aut in nihilum potius resoluuntur, vel ipsa teste Experientia. Illud autem ex verbo Dei, vt certum ac indubitatum statuunt Christiani, etiam hæc aliquando reuictura esse nec perpetuò in monumentis mansura. Imò à Resurrectione longè futura ea gloriosiora quàm antè: De qua re quæ D. Pauli sit Sententia, ex priore ad Corinthios Epistola notius est, quàm vt hic à me debeat inculcari.

Iob certè in grauißimis illis afflictionibus ac ærumnis suis hac ipsa spe Resurrectionis certò futuræ penè sola sese mirificè sustentat, de qua & confeßionem suam ædit satis perspicuam in hæc verba: Scio, inquit, quòd Redemptor meus viuit, & in nouißimo die de terra surrecturus sum, & rursum circumdabor pelle mea, & in carne meo videbo Deum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt & non alius. Reposita est hæc spes mea in sinu meo.

Quæ

Quæ quidem diuini Prophetæ confessio planè & per omnia conuenit cum eo, quod nos in Symbolo, quod Apostolicum vocant, singuli profitemur, Credo carnis huius Resurrectionem & vitam æternam, addita etiam asseuerandi particula passim vsitata, quæ omnem prorsus excludit incertitudinem ac dubitationem.

Cùm igitur duabus rebus constet homo, anima nimirum & corpore, Animæ certè piorum nihil sentiunt ex morte incommodi, Sed à corporum Ergastulis liberatæ in sinum deferuntur non tam Abrahæ, quàm filij Dei, vel in ipsius Dei potius, vt supra dictum est, manu seruantur, & dulcissima fruuntur huius consuetudine, ac initia quædam gratissima percipiunt veræ beatitudinis & vitæ æternæ. Corpora verò ad tempus quiescunt, vel quemadmodū Scriptura suauissimè loquitur, dormiunt in terræ puluere, sub nouissimum tandem diem resuscitanda & iungenda suis singula Animabus, cum quibus perpetuò victura sunt in summa fœlicitate, gloria & gaudio nunquam intermorituro.

Valeant igitur & Sadducæi & Epicuræi amentes ac stolidi, quibus à morte nihil superest, nec animorum nec corporum, vt Simonides quidam olim dixisse fertur: βιοτῆς μὲν χρόνος ἐστὶ βραχύς, κρυφθεὶς δὲ ὑπὸ γῆς κεῖται τὸν ἅπαντα χρόνον. *Et Adrianus Imperator moriturus hos versus pronunciasse dicitur:*

Ani-

Animula, vagula, blandula
Hospes comesq; corporis
Quæ nunc abibis in loca?
Pallidula, rigida, nudula,
Nec, vt soles, dabis iocos.

Valeat & reliquum Philosophorum agmen Animarum quidem immortalitatem aßerentium, sed minus cordatè, & subtimidè, Corporum autem Resurrectionem planè negantium. A quibus omnibus nos, qui Christum profitemur, quàm longißimè seiungamus, hancq; consolationem firmißimè non tam vlnis ambabus seu vtraq; manu, vt est in prouerbio, quàm toto pectore amplectamur ac teneamus, Et superesse à funere animas, nec corpora planè aut in totum euanescere; imò à morte verè victuros pios, & longè maximam futuram aliquando gloriam tùm animorum tùm corporum.

Semper autem in conspectu sint dulcißimæ illæ voces quibus vtitur Scriptura de morte loquens corporali. Ea enim Spiritui sancto nihil nisi somnus est & transitus & quies. Mori verò idem quod dormire atq; quiescere, item colligi & congregari ad Patres. Sepulchrum quoq; vel Sepulturæ locus, cubile seu lectus. Vnde & à Græcis κοιμητήριον *appellatur longè venustißimè, & quod Græci* κοιμητήριον *vocant, Iudæis est,* BETH CHAIIM, *hoc est, domus vitæ seu viuentium. Non igitur intereunt pij vita functi: sed dormiunt, quiescunt, colliguntur, viuunt teste verbo Dei & huius Authore ac interprete Spiritu Dei Sancto.*

Id au-

Id autem si verè & ex animo statuerent homines, minus afficerentur morte suorum, quæ transitus tantum est in vitam, eamq́; longè potiorem quàm sit fragilis hæc & caduca non tam vita quàm mortalitas. Nam, secundum Euripidem, ὁ βίος ἀληθῶς, οὐ βίος, ἀλλὰ συμφορά. Æterna autem illa vita verè vita nominanda est, ex cuius ignoratione potißimum & ex dubitatione Epicuræa, Ethnica & Philosophica de immortalitate animarum, & mortuorum Resurrectione, oritur dolor, quem plæriq́; percipiunt ex morte eorum quos aliquando habuère charißimos. Id quod vel ex Paulo liquet, qui de Ethnicis lugentibus obitum suorum loquens ait: vt non contristemini sicut cæteri qui spem non habent. Significat enim ideò lugere & contristari gentes, quia destituuntur fide Resurrectionis & spe vitæ æternæ. Nobis igitur sciendum ac certò statuendum, quod quemadmodum vita hæc caduca, quædam est ad mortem corporalem via: Sic eadem hæc mors, iter quoddam sit ad veram illam ac æternam vitam in cœlo.

Et hactenus quidem breuiter non tam explicaui quàm recensui & indicaui, Machabæe charßime, paucas sed præcipuas ex verbo Dei, vera luce & duce, consolationes, quibus se erigere pij in morte sua & suorum debent, sumptas ab optima voluntate & prouidentia Dei, à fine & euentu seu vtilitate mortis corporalis, ab animorum immortalitate, à corporum Resurrectione & vita æterna. In quibus quidem consolationibus acquiescere mens longè tutiùs potest quàm in imaginationibus

illis magna ex parte vanis ac friuolis, quibusq; sese suosq; demulcent & inaniter lactant qui inter Philosophos videri volunt Sapientissimi. Priusquam autem finem faciam, libet & hanc consolationem quæ mihi videtur esse inter omnes vel maximè præcipua, superioribus adiungere. Ea sumitur ex statu animarum post mortem, atq; adeò à totius hominis in altera illa ac æterna vita, conditione longè beatissima. Ad quam Beatitudinem, quò plena sit & omnibus Numeris absoluta, referre etiam oportet noticiam & colloquia mutua, cuiusmodi in æterna vita futura esse dubium est nemini, qui paulò Scripturam attentiùs & maiori cum iudicio legerit, quiq; rem vniuersam æstimauerit ac perpenderit diligentiùs.

Diximus iam, in cœlo futuram societatem & coniunctionem gratissimam piorum cum Deo, cumq; Angelis beatis, & inter ipsos inuicem. Quæ autem esse poterit vnquam societas grata aut iucunda sine mutua noticia? Quid verò profuerit noticia nisi accedant Colloquia, quibus fieri potest Communicatio cogitationum & consiliorum? Porrò sine hac communicatione quænam erit solida læticia? qualem in æterna vita futuram & antè dixi, & Christus ipse testatur, inquiens: Mæror vester vertetur in gaudium, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.

Quis negat à Resurrectione futurum Rationis vsum? quæ tum erit minimè obscura aut tenebricosa, qualem circumferunt in hac vita etiam ij qui iudicantur Sa-

pien-

pientissimi. Neq; enim hæc, vtpote pars imaginis Dei (quam plenè tunc reparatum iri constat) non etiam illuminabitur, & nitorem pristinum recipiet, imò hæc maiori tunc quàm vnquam anteà luce decorabitur. Erit igitur & Sermonis vsus, vt qui à ratione producitur & gubernatur, estq; rationis veluti nuncius, interpres & index.

Quod si in hac vita infœlices iudicantur qui Sermonis & linguæ vsu carent, an putandum in cœlesti Patria, vbi summa fœlicitas est, mutos inueniri? Maximè cum illi etiam qui vel ætate seu immatura seu defecta, vel membris mutili, aut alioqui morbis pressi ex hac vita discedunt, reuicturi credantur ætate planè integra, membris perfectissimi & à morbis immunes ac sani, vel vt Paulus ait, ex corruptibilibus incorrupti, ex ignominiosis gloriosi, ex infirmis potentes, ex animalibus planè spirituales.

Verùm quid eiusmodi opus ratiocinatione? cum vel ex Euangelica historia constet Mosen & Heliam iam tum gloriosos, cum Christo transfigurato, in monte locutos de huius exitu, vt Lucas ait, quem perfecturus erat in Ierusalem. Sed & apud eundem Euangelistam etiam cum Epulone, quamuis in inferni cruciatibus agente, atq; ob id procul remoto & damnato, loquitur Abraham cœli tum ciuis & incola longè beatissimus. Quid? quod & Christus ipse à Resurrectione cum Discipulis loquitur, cumq; mulieribus & Magdalena, à qua per vocem agnoscitur. Quod ipsum & Angeli faciunt

in aſſumpta quidem humana ſpecie, reuerà tamen vt non dubites ſuam eſſe his quoq; loquelam & linguam. Quemadmodum nec elinguis eſt aut muta beatiſsima illa in Deitate Trias, cum & de Spiritu ſancto dicat Chriſtus: quæcunq; audierit loquetur: & in Geneſi inuicem de hominis conditione loquuutur τὰ ὑφιστάμενα ſiue perſonæ, quas vocamus Diuinitatis: faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, & reliqua. Imò filius ipſe Dei nominatur λόγος ſecundum Nazianzenum, certè ὅτι οὕτως ἔχει πρὸς τὸν πατέρα ὡς πρὸς νοῦν λόγος, & vt idem paulò pòſt ait: διὰ τὸ ἐξαγγελτικὸν, nempè quòd ſit Orator, primum in ipſa Diuinitate, Deinde & extra eandem atq; ad homines, quemadmodum in Iohanne quoq; dicitur: Deum nemo vidit vnquam, filius qui eſt in ſinu patris, ipſe enarrauit nobis.

De agnitione mutua piorum cum Deo, cumq; beatis Angelis & ſe inuicem in cœlo, omnium clariſsimum extat teſtimonium in priore ad Corinthios Epiſtola, vbi de hac & futura vita loquens Paulus, & vtramq; inter ſe conferens: Nunc ait, ex parte cognoſcimus & ex parte prophetamus: Poſtquam autem aduenerit quod perfectum eſt, tunc id quod ex parte eſt abolebitur. Et paulò poſt: Cernimus nunc per ſpeculum & per Ænigma, tunc autem coràm cernemus. Nunc cognoſco ex parte, tunc verò cognoſcam, prout edoctus fuero. Hæc Paulus.

Neq; verò obſcurè idem colligi poſſe videtur ex eo quod & Adamus cum primum creatus eſſet, nomina indidit

didit cunctis animantibus iam tum etiam creatis à Deo eiusmodi, quæ singulorum Naturis responderint exactissimè. Vnde liquet summam fulsisse in Adamo recens creato rerum omnium cognitionem. Idem è somno illo Diuino euigilans vxorem Euam tum conditam, seu vt Moses ait, ædificatam, nullo monente agnoscit ex viro sumptam, agnoscit sociam, suumq́ os & carnem appellat. Et Baptista nondum natus, in vtero materno saliens & exultans, Christum & ipsum tùm primum è Spiritu sancto in vtero intemeratæ virginis conceptum agnoscens, suo quodam modo salutat.

Quod si ante primum illum lapsum generis humani cum adhuc integra esset & inuiolata imago illa & similitudo Dei ad quam conditus fuerat Adamus, tanta fulsit Sapientia, vt res non antè visas agnouerit & ad primum earum conspectum etiam pernouerit, nec opinione sua sit falsus: Si infans nondum natus filium Dei nec dum etiam natum infantem per Dei spiritum agnoscit, salutat, & suo quodam modo adorat: Quid putamus eiusdem Spiritus ductu & motu non fieri posse, aut cur non potius statuimus planè similia aut his maiora & magis admiranda fieri & futura esse in æterna vita, vbi non solum restaurabitur collapsa Dei imago, Sed maiori insuper gloria ornabitur, vbi nec infantes amplius erunt, & perfectiora existent omnia quàm vnquam fuerint, quæ in hac vita nobis visa sunt perfectissima?

Ac mihi quidem hæc quæ de Noticia piorum inter se, & cum Deo ac beatis Angelis mutua, deq; mutuis in æterna illa vita colloquijs dixi, Machabæe charißime, præter superiora remedia, quæ & ipsa suum pondus habent, & sunt omninò præsentißima, siquidem hæc omnia seriò secum cogitabunt piæ mentes, maximam paritura videntur consolationem aduersus dolorem conceptum cùm ex aliorum præstantium hominum & nobis charorum, tùm ex nostræ huius D: ELISÆ obitu, maximè si fides accedat quæ firmiter amplectatur Doctrinam eiusmodi & promißiones amplißimas Experientia iam ipsa in multis confirmatas. Quam quidem fidem spiritus Dei sanctus precibus aßiduis & ardentibus à Deo per Christum postulatus excitat, alit, auget, adiuuat, ac tandem etiam perficit.

Sed excruciat te fortè, quòd Matrona hæc longè optima & præstantißima in medio vitæ suæ cursu & flore, puta annum ætatis vix egressa tricesimum secundum, ita subitò erepta sit, morte præpropera nimis & immatura. Audi, mi Machabæe, Mortalis erat, vt nos omnes, & est quædam Senectus etiam Iuuenum, de qua loquitur & Sapientiæ liber, quam si quæ vnquam alia Matrona honesta & pia attigit, certè hæc, vel tua Epistola teste, adepta est. Sic enim eius libri Autor, Senectus, inquit, veneranda est, non quæ multo tempore aut annorum numero mensuratur. Prudentia inter homines est canicies, & vita immaculata est ætas Senectutis.

Nec

Nec eſt noſtræ huius (ipſi præſertim) præprope-
ra aut immatura mors dicenda, in cuius meditatione & expectatione quotidiana ipſa quamuis paucorum adhuc annorum exiſteret, continuò vixit, nunquam ſeſe mortalem oblita. Neq; ego cuiquam pio mortem immaturam aut præproperam accidere poſſe ſtatuo, neq; non optimè cum ijs agi, qui cum alioqui Deum verè colant omnibus Exercitijs pietatis vacantes ſedulò, celeriùs à nobis abripi videntur, non quòd vita non ſit res per ſe bona, & à Deo expetenda longæuitas: Verùm quia Nemini obſcurum eſſe poteſt, quæ & quot offendicula, eadem obijciat incautis, in qua ſanè οὐδὲν βέβαιον καὶ οὐδὲν ὑγιές, vt non tam odio haberi, quàm diligi à Deo appareat eos, qui maturiùs diſcedunt aut euolant, vel Diuinitus potius hinc euocantur. De qua re præclarè quoq; dictum eſt in eo, quem nunc citaui libro Sapientiæ: Placet Deo (iuſtus) & ab eo diligitur & hinc tranſfertur ex vita inter peccatores, & abripitur ne malicia peruertat intellectum eius, aut dolus decipiat animam eius. Verùm hæc aut his ſimilia quædam ſuperiùs etiam attigimus.

Ad iſtud autem quòd noſtra hæc D. ELISA in partu obijt & quidem vnà cum fœtu iam tum prius extincto, quid dicemus? Solet enim hoc mortis genus calamitoſius eſſe ac triſtius. Sed triſticiam omnem lenit & adimit vel vnicum illud ac notiſsimum Pauli dictum περὶ τῆς τεκνογονίας: Saluabitur mulier per generationem liberorum ſi manſerint in Fide, Charitate, Sanctificatione & Modeſtia. Hîc cum Salutem fidelibus ac pijs

puero-

puerperis promittat electum illud Organon & cœlestis aliquando Scholæ Alumnus, Paulus, Quis in hac tam dulci promißione non acquiescat, quæue parturientium aut parientium, non grauißimos quosq; dolores & cruciatus corporis quamuis acerbos æquißimo ac patientissimo ferat animo, in eam Salutem & vitam intuens, quæ æterna est & animæ pariter ac corpori communis, cum qua coniuncta est perpetua & nunquam intermoritura fœlicitas?

De piorum parentum liberis qui vel nondum in lucem æditi, vel in ipso partu, Ecclesiæ prius & progenitorum pijs precibus Deo commendati extinguuntur, quid sentire oporteat, neq; ignorant Christiani, & hæc Materia alterius fortè fuerit loci ac temporis, dum amplißimam interim promißionem illam fide firma teneamus, quæ suo modo ad quemuis pium pertinet & referenda est: Ero Deus tuus & Seminis tui post te.

Ego itaq; Machabæe charißi: ne de fœtus quidem huius Salute æterna quicquam dubitans, & vtriq; potius, matri inquam pientissimæ, & beatißimæ proli hanc ipsam salutem ac beatitudinem æternam gratulatus non addam plura, præsertim cum & ego me nunc Epistolæ modum excesßisse intelligam.

Sed libuit verbosius hæc vel eò exponere, vt in aliquanta copia consolationum (quamuis non omnes, sed præcipuas tantum indicare satis duxi) aliquid inueniri posset, quemadmodum in Pharmacorum multitudine

quod

quod præsenti ægritudini mederetur & dolorem vel leniret vel tolleret. Volui quoq; has ipsas consolationes paulò tractare generaliùs atq; communiùs, vt non solum nostræ huius D. ELISÆ Marito, Liberis, & Amicis: Verumetiam alijs eadem passis, vel alioqui omnibus cum morte luctantibus applicari veluti commune quoddam μάλαγμα possent. Hoc igitur quicquid est seu laboris seu studij mei, si secundum te Amicum meum integerrimum, Magnifico etiam viro D. HILARIO communi Mecœnati, & huius dulcissimis liberis, atq; cognatis, tum quibuscunq; alijs dextrè iudicantibus probabitur, Inprimis si quid erit in hoc tenuissimo scripto, vnde vel aliquid tandem solidæ consolationis haurire mentes anxiæ, & vel de Amicorum decessu dolentes, vel propriæ mortis consideratione territæ, possint: non planè perijsse arbitrabor horulas illas, quas hisce qualibuscunq; Pharmacis conscribendis impendi.

Tu interim perge Sanctissimæ fœminæ memoriam celebrare. Sed nec me meminisse pigebit ELISÆ, Dum memor ipse mei, dum Spiritus hos regit artus, Libet enim Poëtæ verbis vti. Deus autem æternus, idem Pater misericordiarum & Deus totius consolationis, adesse dignetur suo sancto Spiritu Paracleto omnibus seriò dolentibus suorum obitum, & quibuscunq; alijs afflictis, ac mœstis, omnesq; nos confirmet vt mortem hanc corporalem, quæ tamen veræ vitæ ianua est pijs, non tàm metuamus quàm appetamus, & cum Simeone, Paulo, & alijs alacriter inuitemus, quò malis omnibus

huius vitæ defuncti, in veram illam ac cœlestem Patriam ex hac aliquando lachrymarum valle commigremus, vbi dulcißima frui liceat consuetudine non solum Angelorum ac beatorum omnium, Verumetiam æterni Patris, Filij huius vnigeniti, & ab vtroq; procedentis Spiritus sancti. Amen. Benè vale Amicorum optime & pro tuo candore hæc nostra, ieiuna admodum atq; tenuia, boni consule.

Lundiæ scribebam die XXVI Aprilis, Anno à nato Saluatore

M. D. LXXVII.

Magnus Matthias
Th: L:

HAFNIAE

EXCUDEBAT ANDREAS GUTTERUUITZ.

Anno

M. D. LXXVII.